



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LXXXVIII. Der Bischof Otto schlichtet einen Streit zwischen seinem Domcapitel und dem Kloster zu Lehnin, wegen einer Getreide-Rente, am 13. Februar 1258.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

LXXXVIII. Der Bischof Otto schlichtet einen Streit zwischen seinem Domcapitel und dem Kloster zu Lehnin, wegen einer Getreide-Rente, am 13. Februar 1258.

Otto, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus — simultatem et controverfiam, que per aliquod tempus inter ecclesiam Brandenburgensem et Leninensem est versata de tricesima annone duarum grangiarum scilicet Wachowe et Goliz, prout officii nostri erat, sedare pacemque inter ipsas ecclesias reformare cupientes, vocatis partibus in nostra presentia, et proposita utriusque causa, nos murum contra impetum hujus opposuimus simultatis, amicabilem concordiam inter jam dictas ecclesias indissolubile vinculum pacis charitatisque statuentes, ut jam dicti fratres de Lenin dominis Brandenburgensibus adducent annuatim et presentent in navim in villa que dicitur Zuchedam, viginti et unum choros, videlicet IX. choros siliginis, IIII. choros hordei et VIII. choros avene, ipsam annonam Brandenburgensi modio in ipsa navi metientes. Predicti vero fratres Leninenses, ipsam advehentes dominis Brandenburgensibus intimabunt, ut parati recipiant, ne utrique parti offencilum generetur. Preterea sciendum, quod, quamdiu dictam annonam in navim ipsis non presentaverint, quidquid, detrimenti sustinuerint, in damnum Leninensis ecclesie redigetur. Postquam vero in navim presentaverint, si aliquid detrimenti inde venerit, in damnum Brandenburgensium redundabit. De minuta vero decima sic a nobis est ordinatum, ut jam sepedicti fratres Leninenses supradictis Brandenburgensibus dominis annuatim talentum persolvant, pro quo redimendo, cum multum Brandenburgenses cum Leninensibus discordarent, Leninenses XV. talenta denariorum Brandenburgensium persolverunt, et nos Brandenburgensi ecclesie pro dono pacis et concordie talentum assignamus memoratum, et ipsa ecclesia assignatione hujusmodi est contenta. Notandum etiam, quod duo mansi in Goliz doti pertinentes in prefata compositione comprehenduntur. Quicumque vero pars supra ordinatam compositionem infringere attemptaverit, alteri parti XX. marcas pro emenda solvere non obmittat. Ne autem hujus compositionis forma in futurum ab aliquo valeat violari, presentem paginam sigilli nostri nec non et domini abbatis Leninensis appensione et testium subscriptione duximus roborandam. Hujus autem rei testes sunt Petrus prepositus, Henricus prior, Albertus plebanus, Lambertus cellerarius, canonici Brandenburgensis ecclesie, Johannes abbas, Richardus prior, Theodoricus cellerarius, monachi Leninensis ecclesie, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M^o. CC^o. LVIII^o., pontificatus nostri anno VI., idus Februarii. Datum in Pritzerwe, per manum nostri notarii, magistri Walteri, plebani de Jezere.

Nach der Copie im alten Copialbuche.

LXXXIX. Der Magistrat der beiden Städte Brandenburg bezeugt, daß ein gewisser Hugo Vack dem Domcapitel eine jährliche Getreide-Rente in Plägin und drei Hufen Landes in Tremmen resignirt habe, am 28. Juni 1263.

— prefecti consules et scabini veteris civitatis et nove in Brandenburg — nosse cupimus uniuersos — quod, cum Hugo, civis nove civitatis nostre in Brandenburg dictus Vack, quatuor choros annone in Plotzin de quatuor mansis ad villicationem ejusdem ville pertinentibus ad vite sue tempora et tres mansos in Tremene villa ecclesie Brandenburgensis cum filio suo Hugone